

Ar. Preides
1. Waldschmied
2. Martini
3. Reinhardt
4. Maier
5. Faichner
6. Widvogel
7. Gehler
8. Lepor
9. Heberer
10. Wuttich
11. Juding
12. Boehma
13. a. Sode
14. Born
15. Charif
16. Tollon
17. Souch
18. Cueli
19. Plato
20. Eyben
21. Wridoo
22. Schelle
23. Hebere
24. Götter
25. Weile
26. Sode
27. Schelle

46

DISPUTATIO JURIDICA

EXHIBENS

Utilissimam & intricatam Trans-
actionum Materiam.

Quam

DIVINO ASPIRANTE NUMINE.

Sub Præsidio

Clarissimi & Consultissimi Viri,

DN. HERMANNI
GOEHAUSEN, J. U. D.

Et in inclyta Academia Rinteliana Pro-
fessoris publici, ordinarii, Præceptoris & Fau-
toris sui omni observantiæ genere
colendi.

In celeberrimo Ictorum Collegio ad diem 20. Febr. publicè de-
fendendam proponit & exhibet

JOHANNES Witschieve / H A G A
SCHAUMBURG.



RINTELI,


Typis Petri Lucii Typogr. Acad.

M DC XXIII.

3



[Faint, illegible text, likely bleed-through from the reverse side of the page.]



(b) q
ta dec
(a) U
tio per
propriet
l. i. ad ex
teria n
viro n
plant. si
bandam
c. 4. qua
idem Ran
problem
rustran
& exper
tz exce
alii & qu
nanda pa
2. de p. p.
qualige
est tran
deciden
adhuc a





α |
—|
ω.

T H E S I S P R I M A.

Transactionum Materia se ipsam satis ostendit (a), ut suspensâ hâde- râ hic opus non sit, quare statim transactionem ipsam definiemus (b): quæ est rei dubiæ & litis incertæ (c) conven- ta decisio. (d)

(a) Uti in simili loquitur *ICTus in l. 1. de Rest. in Int.* est siquidem transa- ctio perquam necessaria, & vis ejus in usu quotidiano est, & maximè propter lites finiendas in ducta est, uti quoq; in simili loquitur *ICTus in l. 1. ad exhib. junct l. 10. 16. 20. C. de transact.* ut proinde utilitas hujus ma- teriæ non egeat commendatione *d. l. 1. de Rest. in Int.* (b) Cum cordato viro nihil dignius sit quam definire, inquit *Schalig. Comm. in 1. Arist. de plant.* siquidem definitione vera & accurata nihil clarius ad rem pro- bandam & demonstrandam, evidentius, inquit *Ram. lib. 7. Schol. Dial. c. 4.* quare omnes artes & scientiæ, à definitione explicandæ sunt, inquit *idem Ramus lib. 4. Schol. Dialect. c. 1. & 6.* Rationem dat *Goclen. part. 5. problem log. .47.* (c) vide *thes. 5. lit. a:* fit namque metu incerti litis even- tus transactio, quâ à lite prorsus receditur, ideò si actor pergat agere & experiri, opponitur ei exceptio transactionis, quæ est litis fini- tæ exceptio. *Duar. ad tit. de trans. c. 1. pr.* (d) Transactionem definiunt alii & quidem aliâs non contemnendi, aliter, quod *sc. sit de re dubia termi- nanda pactio*, *Cujac.* (Insignis antiquitatis indagator, ut vocatur à *Geil. 2. de p. p. c. 1 n. 2.*) *ad tit. de pact.* ubi dicit pactioem in esse transactioni, quasi genus, & ergo nomen ei dare definitionemque, nam quid aliud est transactio, quam pactio quæ fit inter duos pluresve negotii aut litis decidendæ causa *l. 1. 2. ff. de trans. inquit idem 10. obs. 30.* Alj definiunt adhuc aliter, quod *sc. sit contractus*, quo res dubia aliquo contra dato

aut promisso remittitur, Bartolus (supremus veritatis Doctor, cuius
Jason etiam adorabat. vestigia Gram. Dec. Neopol. 63.) in l. 7. de pact. Sed
utraq; definitio; liceat hoc cum venia dicere; mala & vitiosa, quia cau-
sa non potest esse genus sui effectus, transactio autem fit pacto vel con-
tractu, d. l. 2. de trans. Et ergo quærendum est genus, quod transactioni
semper & perpetuò insit, quod inueni apud Wesenb. in Parat. sibi i-
psitamen contrarium, tit. de trans. nu. 2. Ubi ipse transactionem, sic rectè
definit. Sciendū a. est transactionis verbum, non solum specialiter, quo in
significatu transactio de controversiis conventionem partium decisam ac-
cipi debet, sive pro decisione rei dubiæ litisve incertæ data retenta aut
promissare aliqua l. i. ff. h. t. l. 38. C. eod. sed etiam generaliter accipi, quo in
significatu, & ea quæ juramento, sententia vel alias decisa & composita
sunt, transacta dici possunt arg. l. 229. de V. S.

II.

*Transactio itaque est ipsa rei controversa
decisio; Modi autem transigendi sunt pactum
(a) Et Contractus (b); Hic sive nominatus si-
ve innominatus (c).*

(a) L. 2. h. t. circa quam tamen in controversiam venit, quid per
pactum conventum significetur? sanè Borcholdt c. 15. de trans. n. 12. & 16. c.
2. n. 3. existimat nudam conventionem sive pactum de dando ut lis re-
mittatur, transactionem esse; quod & voluit Treutl. vol. 1. disp. 7. th. 1. &
2. Fortassis malè; siquidem transactio de finitur rei controversæ decisio
θ. preced. 1. sed nuda conventio non decidit, nam ubi res subsistit in fi-
nibus conventionis de dando vel faciendo, nulla adhuc planè transac-
tio est, sed de transigendo tractatio. Corr. 1. Misc. 23. n. 8. quippe nulla
adhuc rei controversæ decisio, in qua essentia transactionis consistit l.
38. C. h. tit. & videri possit satis Borcholdt. & Treutl. redargui p. l. 28.
C. h. t. Quare dicemus rectius, nudo pacto verè & propriè non transigi
& itaque in d. l. 2. pactum conventum de contractu innominato expli-
cabitur, quod ibi oppositio Aquilianæ stipulationis efflagitat & cōfir-
mat. Neque alias hæc bona sequela est: Transactio fit pacto convento
d. l. 2. Ergò fit pacto nudo; quia argumentum à genere ad speciem cer-
tam & determinatam, affirmative, vitiosum est; siquidem etiam possit
intel-

intelligi per pactum conventum contractus quidam nominatus *l. 7. pro soc. (b)* Sic transactio fit mediante stipulatione *d. l. 2. ff. h. t.* Hic nunc quæritur; an ipsa transactio semper & indistincte sit contractus? quod licet quamplurimi negent, mihi tamen affirmandum videtur siquidem ut ex ante dictis constat transactio ita fieri solet & debet ut quippiam detur aut fiat quo à lite discedatur, vel a lite disceditur, ut quippiam detur aut fiat. *l. 38. C. h. t.* quoties enim simile quid sit contractus adest argumentum *l. 1. §. 3. de pact. l. 3. pr. de transf. l. 7. §. 2. de pact. l. 5. l. 15. de presc. verb.* & itaque transactio contractus est, & obligat reum ad id, quod transactionis nomine promisit præstandum *Confer th. seq. 8.* At quin si jam opponis, etiam pacto transigitur *d. l. 2. ff. h. t.* unde quoque toties transactio pactum dicitur *l. 11. 13. 19. 20. C. h. t.* replicaverim ego negando istas consequentias: Pacto transigitur; ergo nudo: Transactio dicitur pactum: Ergo nudum: per ea quæ jam dicta sunt *ad l. a.* Interim fateor, pactum transactionis causa interponi sive pactum de transigendo fieri posse, quod ab ipsa transactione ut ab emptione pactum de emendo differt, quo de casu & pacto accipio *l. 21. C. de pact. (c)* Velenim mediante stipulatione Aquiliana transigitur, & ita per contractum nominatum, vel frequenter transactio ita fit, ut ab alterutra parte aliquid detur, vel fiat, & ita per contractum innominatum *d. l. 2. ff. h. tit.* Sed quæritur; Cum transactio semper contractus sit, ut dictum, nunquid nominatus an innominatus sit? Siquidem *Corras.* contra omnium sententiam *l. miscell. 23.* eam nominatum esse contractum defendit, quod quia novum est probare non possumus & innominatum contractum esse arguunt *l. 6. 33. Cod. de transf. juncta l. 1. 2. 3. de presc. verb.* nec enim transactio certam formam habet, aliquando dat actor, quandoq; reus, nonnunquam uterque, interim aliquid actor remittit, dat reus, interdum uterque, prorsus variè, ut vel ideo certa nominataque actio dari hinc non possit *Vvesenb. in tit. de transfact. n. 2.* Notandum tamen est in transactione hoc speciale esse, quod in ea pœnitentiæ locus nullus sit, sc. ob favorem finiendarum litium *l. 10. 39. Codic. hoc tit. ibique Gothofr.* secus ac in aliis innominatis contractibus *l. 5. C. de Cond. causa dat.* Posset forte nihilominus *Corasij* sententia recipi, quando mediante stipulatione facta fuerit transactio de quo in ipsa disp. plurib.

I I I.

Transigendi jus habent, quidam absolute

A 3

(a)

(a) quidam limitatè (b) illi trāsfigunt suo nomine,
sed hi alieno (c). qui verò transfigere possunt illi et-
jam rectè paciscuntur (d).

(a) Veluti qui rerum suarum moderatores & arbitri sunt, adeoq; simpliciter de iis disponendi transfigendiq; potestatem habent *arg. l. 21. C. Mand. quin* qui consentire possunt & mente sana sunt, quamvis corpore ægrotent transfigere quoque possunt *l. 27. C. h. t. Vid. VVes. nbec. ad h. tit. n. 4.* Unde inferri potest: pupillum & Minorem &c. sine tutore Curatoreve transfigere haud posse, quoniam transactio implicitam semper habet & adjunctam remissionem & dationem *l. 38. Cod. h. tit. Corr. 1. Miscell. 23. nu. 8.* remittere vero & dare, adeoque conditionem suam deteriore facere, non possunt pupillus & minor, uti constat.

(b) Veluti legitimi Administratores & defensores, puta eos de quibus dicemus *in th. 4.* quibus in subsidium & in casu necessitatis tantum transfigere permittitur, scilicet tunc ubi de Justitia suorum principum dubitatur plurimum, *Geil. 2. Observ. 72. nu. 9. confer que sequuntur in d. th. seq. 4.*

(c) Scilicet veri domini, & qui dominorum loco constituuntur, quique in jure nostro passim pro dominis haberi dicuntur,

(d) Paulus J Ctus *sent. 1. §. 1.* hanc regulam proponit, quod qui transfigere possunt etiam rectè paciscantur, quod verissimum regulariter est *Interpretante ibi Cuj. Dn. Hun. tamen disp. 7. th. 2. lit. B. vol. 1. ad Tr. eam regulam invertit quasi regulariter qui pacisci possint etiã transfigere possint, quẽ ibi merito notavit Dn. Præses in Inf. sua ad d. loc. Ex hac J Cti Pauli Regula cum eodẽ Cuj. ad l. 8. ff. h. t. defendi & concludi potest; Ergo nec de alimentis relictis pacisci licere, siquidem de iis transactio inhibita, vid. th. seq. 5. Dissentiunt tamen Scip. Gent. de alim. c. 4. Hunn. & Bachov. ad Treutl. vol. 1. disp. 7. th. 4. in fin. quibus hoc argumentum quod est Hotom. ad l. 8. ff. h. t. opponimus, quod pactum fiat de re certa *l. 1. de transact. quæ autem alimentorum causâ debentur, propter incertum vitæ alimentarii spatium, incerta sunt, itaque quo casu certa eorum esse quantitas potest, eo casu pactio facta valet, nimirum de præteritis non etiam de futuris l. 8. Codic. de transact. Sed de hoc pluribus in d. th. seq. 5.**

I V.

Hinc decidi debent sequentia: An procura-
tor

tor (a), tutor, Curator (b), pater de bonis filiis
adventitius (c), Vasallus sine Domini Consensu
de feudali (d), itemque Syndici (civitatum) (e)
transigere possint?

(a) Quæritur hic de Procuratore universorum bonorum, an citra speciale mandatum transigere possit? Sed ut generalius hoc inquiramus videbimus, an alienare possit? & occurrunt hic duo textus, in speciem pugnantes, l. 9. §. 4. de Acq. R. D. & l. 63. de Procurat. ad quos conciliandos valde laborarunt Interpp. Glossographi plerique remedium distinctionis adhibuere, inter procuratorem ut ipsi loquuntur, cum libera, & sine libera, ut ille possit exigere, permutare l. 58. solvere l. seq. de procur. vendere & tradere d. l. 9. §. 4. iste non item d. l. 63. quam communiter à Dd. probatam distinctionem admittit etiam Faber. in rational. ad d. l. 58. Verum hoc pharmaco non erat opus, ait Giph ad l. 58. n. 9. quod & nonnullis aliis viris doctis visum est. Donell. 4. Com. 15. Quid ergo dicemus? Sane Procurator generalis, hoc est, liberam administrationem habens sine speciali domini mandato alienare non potest d. l. 63. nisi res quæ servando servari non possunt d. l. 9. §. 4. Item nisi voluntate domini accedente d. l. 9. §. 4. nam plus interdum videri potest inesse mandato generali ex verisimili mente mandantis, velut si mandaverit peregrè profecturus qui casus est d. l. 9. §. 4. ut plane illud admittendum sit, formam mandato ita concipi posse, ut laxior & plenior potestas concessa intelligatur ut in specie l. 60. §. fin. ff. Mand. potest tamen permutare l. 58. de Procurat. rationem differentiarum dabit tibi Giph. ad d. l. 63. Quid ergo, An etiam transigere poterit? Non videtur mandato generali contineri transactio dicit l. 60. de Procurat. ad quam emendatio Cujacii sapere non potest, cum regulariter omnis transactio decidendi causa fiat l. 38. C. h. t. nec Giph. explicatio sufficere vid. Hun. c. 2. q. 1. de transact. Sed in contrarium tamen concludunt l. 12. de pact l. 17. §. 2. & 3. de Iurejur. Quid pro conciliatione dicemus? Sane & hinc Dd. vulgata ista, cum & sine libera; distinctione utuntur, quæ quoniam nobis suspecta est, defendemus, indistinctè procuratorem totorum bonorum transigere non posse contra Hunn. c. 2. quest. 2. de transact. (de Jure Canonico tamen vid. c. 4. extr. de Procur.) quid vero jam ad dictos contrarios textus respondendum sit, videbis apud Bachov. vol. 1. ad Treutl. disp. 7. th. 2. lit. C. accom-

at commoda huc quæ dicta sunt *th. preced. lit. b.* (b) Transigendine jus isti duo habebunt? Absolue non habent, sub conditione tamen ipsis id concessimus *in th. preced. 3.* scilicet ipsis in defectum aliarum probationum transigendi jus datum erit, siquidem ubi dubius est litis exitus præstat aliquid accipere vel remittere, quam de toto venire in periculum, quomodo id quod *in l. 54. §. fin. l. 56. §. 4. de furt.* simpliciter dicitur notanter prius limitatum fuit *in l. 46. §. fin. de adm. tut. ex quo §. fin.* præter dictas *ll.* explicari & limitari quoque debet *l. 4. C. de præd. Min.* quod ibi transactione diminuendi causâ tutoribus interdicitur, cave enim ne cum *Hunn. in d. Tr. p. 88.* dixeris fuisse transactionem *in d. l. 4.* super re minoris certa interpositam, quoniam ubi de transactione quaeritur, necessario res dubia ponenda est *l. 1. ff. h. t. quare valebit tutoris, curatoris transactio super lite, cujus exitus posset esse pupillo anceps & onerosus l. 12. Cod. h. t.* non valebit si transigendo donaverint aut bona pupillorum diminuerint *d. l. 4. C. de præd. Min. V. Vesenb. in c. h. t. n. 4.* (c) Questionis est an pater de bonis filii familias adventitiis possit transigere, sicuti in præcedentibus dictum, decisio etiam inde petenda est, an causa sit dubia, aliæque deficient probationes; Ergo sicuti rectè procurator, tutor, curator, &c. in re dubia & incerta bona fide transigendo aliquid dare vel remittere possunt, ita & multo magis posse dicemus patrem, siquidem pater & legitimus administrator & usufructuarius est *Dissent. tamen Cujac. in l. 10. ff. h. t. propter tex. in l. fin. §. 3. C. de bon. quæ lib.* ubi etiam in movenda à patre actione consensus filii requiritur, & ergo, concludit ille, eum in transigendo etiam requiri, sed hanc objectionem extra oleas, ut loquimur, versari docuit *Bach, ad Tr. d. d. sp. 7. th. 3.* siquidem ut quaestioni nostræ locus esse possit termini habiles ponendi sunt, videlicet filii in ætate prima constituti, quorum quo ad movendam actionem, uti consensus non requiritur *d. §. 3.* sic etiam nec quoad transigendum, secus quo ad filios mediæ ætatis, qui cum consentire possint eorum quoque consensus requiritur *d. l. f. §. 3.* solent tamen in hac & præcedentibus quaestionibus distinguere *Dd.* inter transactionem, vel, ut hoc addatur, alienationem voluntariam & necessariam, ut juxta *d. l. fin.* in casu necessitatis, urgente ære alieno vel etiam utilitatis si possessiones sint steriles & sumptuosæ, alienatio permittatur. Sed permittitur ne ea sine decreto? Ita cū *Dd.* existimamus & asseveramus *p. d. l. fin.* (d) Et hoc loco solet examinari quaesitum, quomodo Vasallus sine domini consensu, de re feudali transigere queat? Feudistæ distinguunt communiter, an Vasallus possideat feudum, an ad adversarius, ut scilicet transi-

transigendo feudum quod alius possidet, remittere, non autem à se possessum in alium transferre possit. Mihi rectius *Schenk. ad tit. 26. § si Vasallus 2. Feud.* toties jus transigendi Vasallo concedere videtur, quoties transactio sine fraude & collusionione procedit, quod factum fuisse censetur si magna sit contra Vasallum & Dominum juris Feudi dubitatio. Textum in terminis pro se habet *Schenk. in c. unum. de Cont. inter Vas. & alios & in c. si Vasallus si de Feud. def. Cont.* ubi permittitur transigere Vasallo sine domini consensu, non tantum si agat, sed etiam si conveniatur. Quare noli dicere cum *Rosenthal c. 9. memb. 2. Conclus. 21. in Parat. Feudal. d. c. si Vasallus* loqui de transigente Vasallo, qui feudum non possideat; nec limitare cum *Cujac. lib. 4. Feud. tit. 23.* Vasallum transigere posse decidendi, non a. alienandi causa, utrumque enim susistere non potest. (e) De Syndicis civitatum idem, quod supra de procuratore generali, statuimus, per ea quæ tradit *Geil. 2. O. 72. nu. II.* scilicet ut transigendi jus habeant in subsidium. ubi aliæ deficiunt probationes, quod præstet aliquid remittere, quam de toto venire in periculum vid. *L. 12. C. h. tit.*

V.

*Qui vero transigere volunt super re dubia
& incerta transigere debent (a) Ergo semper
hoc facient ante judicis sententiam (b) Nota-
biliter tamen excipitur (c) causa alimentorum;
(d) & casus non capitalium delictorum (e)*

(A) *l. 1. ff. h. t.* Quæcunque igitur res sit, super ea, dum saltem dubia sit, transigi potest; hinc etiam super status quæstione dubia transigitur recte, *l. fin. C. h. tit.* & quid em sive hoc agatur ut quis maneat in libertate sive ut sit servus; veruntamen an hæc transactio ut servus maneat, sic valeat, ut postea nullum amplius jus asserendi se in libertatem competat, nescio; vix id putaverim, defenderem magis, favore libertatis, repertis postea novis instrumentis & probationibus, jus illud adhuc competere posse *arg. l. 122. d. R. I.* (b) Nunquam vero post rem judicatam *l. 32. C. h. t.* ratio est manifesta, quia tum res satis est liquida, ut proinde hic verba plura fundere, nihil juvare possit. *V. Wesenbec. in Parat. h. t. n. 5.* (c) quæ sit ratio quod de futuris alimentis in testamento relictis si-

B

sine

sine prætore transigere non liceat, vid. *Hun. de transf. c. 3. q. 20. Hotom. ad l. 8. in pr. vers. Contenti modico de Transact.* qui cum aliis bene moment, rationem illius, non in solo ultimæ voluntatis favore nec in favore solius alimentarii, sed utriusque consistere (d) Quomodo de futuris alimentis in testamento relictis, sine Prætoris cognitione transigere non licebit *l. 8. C. hoc t.* Quid si tamen sine prætore, de iis juratò transactum fuerit? Sane de *Jur. Civil. nec talis Jurata transactio valeret pa. l. 5. C. de ll. jurantisque potius levitas coercenda veniret;* Attamen ex ratione *Jur. Canon. ejusmodi transactio confirmaretur, quod hîc fate m obstat merum & solius legis Civilis impedimentum, & ergo per c. cum contingat ext. de Iurejur. Ut proinde in hujusmodi quæstionibus semper forum civile & conscientiæ distinguendum sit, de quo alibi dicendum aliis.* Hic illud connectam, quod etiam transigere prohibeamur, de eo quod testamento relictum est, nisi inspectis testamenti verbis, *l. 6. ff. h. t. cujus rationes non usque adeo ineptas dedit Bach. ad dict. disp. 7. th. 4. l. e. vol. 1.* Sed quæritur; An Inspectioni huic fas sit transigentibus renunciare? Quod Communiter Dd. nostri negarunt, vid. hoc resolutum apud *Hun. de transf. c. 3. q. 18. Ubi Anth. Fab. ad d. l. 6. refert & refutat argumenta, sane nihili aut parum est, quo movetur Faber, quemq; sc. favori & beneficio suo renunciare posse l. pen. C. de pact. quia d. l. 6. constitutio non tantum in favorem legatariorum transigentium, sed testatoris ultimæque voluntatis facta lataque etiam est, quod docent rationes à Bach. d. l. allatæ, quas ideo videbis. (e) de quo nunc dicemus in thes. seq. 6.*

VI.

Unde hic proponi & explicari solet l. 18. C. de transact. (a) ex qua duas hasce elicimus regulas, quas & defendemus: Regula prima esto: De Criminibus qua sanguinis pœnam irrogant, rectè transigimus (b). excepto crimine adulterij. (c)

(a) Famosa sane est *d. l. 18.* & explicatu difficilis sc. obscurata in terpt. nostrorum glossis & opinionibus, adeo varie varij de ea & in eam scripse-

scripserunt, quorum Catalogum videbis apud *Delrion. ad h. l. n.* ut proinde ego facilius veniam consecutus sim, si quid minus rectè hîc dixerò aut proposuero (b) prima hæc est & verissima regula, quam etiam sic proposuit *Arum. in disp. ad h. l. n. th. 11.* ratio regulæ videri potest in *l. 1. de bon. eor.* Attamen Franc. Hottom. quem hominem omni litterarum genere excultum, alibi nominat *Duar.* hîc plane contrarium constituit, sc. non licere accusatori in crimine mortis pœnam inferente transigere *qq. 1ll. 23.* Rationes *Hottom.* recensent *Arum. d. disp. th. 14. Hun. d. tract. c. 3. q. 2.* Præcipua ejus ratio hæc est: Quod quibus criminibus lex pœnam sanguinis imposuerit, illam ea adeo coercenda judicasse, ut sine Reipubl. detrimento tegi ac dissimulari non possint, nec debeant, quæ verò leviori pœna damnaverit in iis facilius accusatori ut accusatione desisteret concessisse *Vid. Hottom. d. q. 23. p. 160.* Sed ad hanc rationem doctè respondet *Don. in h. l. n. 4. & ex eo Hun. d. loc. in arg. 2.* Adde *Arum. d. loc. th. 22.* Nos hîc existimamus, delicta capitalia proprium objectum transactionis non esse *arg. l. 7. §. 14. de pact.* adeo nec esse veram eam transactionem sc. delictorum ipsorum respectu, siquidem transactio est litis decisio & finis supra *th. 1. & 2.* ast reus etsi transigat, ita tamen nondum liberatur, quem liberari falso præsupponit *Hottoman.* sed ei tantum ignoscitur, ne habeatur pro confesso. *VVesenber. in w. nu. 5.* Unde adhuc ipse multis modis perire & ad pœnam de venire potest, *Arum. d. disput. th. 2.* sed est tamen aliqua transactio respectu juris privatorum, quod accusatoribus competit *arg. d. l. 7. §. 14. junct. §. 1. I de pub. jud.* adeoque hoc jus accusator accepta à reo pecunia remittere potest, & remittit. Effectus itaque transactionis insuper hic est, ut non possit accusator iste denuo reum, cum quo sic transegit repetere accusare que, tamen si hoc possint alii *arg. d. §. 1. de pub. jud. transactione* namque non læditur jus cæterorum *l. 3. pr. ff. h. t.* Sed quare diximus in hujus thesæos rubrica, *que sanguinis pœnam irrogant?* nimirum ut ab hac nostra regula excluderemus fustigationem, membri mutilationem, criminaque alia, quæ mortis pœnam non ingerunt, etsi sanguinis effusionem inducant, ea namque adhæc regulam non pertinent, *l. 103. d. V. §.* Quicquid ergo sanguinis pœnam, ex qua mors sequatur semper irrogat, illud huc pertinet. quare nostra regula de morte totius, non partitis, veluti membri mutilati, intelligenda est, *arg. d. l. 1. de bon. eor.* Hoc etiam notabiliter addendum & observandum est, tum solum trans-



tionem permitti, cum delicto, cuius accusamur, *ordinarie* pœna capi-
tis statuta & indicta est, unde ea non permittitur, licet *extraordinarie*
ad capitis pœnam deveniri & concludi possit, ut hinc male dissentiat,
Arum. d. disput. th. 32. qui etiam nescio qua ex ratione & causa in *d. disp.*
th. 33. quærit & dubitat: An in Parricidio nostra regula obrineat?
Quod quidem nobis omnino affirmandum, ipsi tamen, propter crimi-
nis gravitatem, videtur negandum, quæ tamen ratio, contra ipsum re-
torqueri potest; quo enim crimen gravius vindicandum jubetur eo faci-
lius transactio permittitur, ex miserationis ratione *d. l. 1. d. bon. eor.* quod
reo ignoscendum sit, qualiter qualiter sanguinem suum redimere vo-
lenti. Cæterum, ad verum intellectum nostræ *l. 18.* hoc quoque adden-
dum est, quod ista utrique profit, actori reoq;, tametsi videri possit, eam
in actorem transigentem conceptã esse, forte ideo q; *Imp. Consulti de*
accusatore, an & ipse etiam impunè transigere possit, responderint, si-
quidem de R. E. O. jam ante jus certum obtinebat, nimirum permissum
ei transigere, ex miserationis ratione, in *d. l. 1. de bon. eor.* quæ principaliter
reo competit, non accusatori, quem bene propensum iudicium ad
accusandum impellit, cum reus è contra ex improvise ad ipsius nutum
in iudicium trahatur; Sed quoniam beneficium hoc inutile futurum
fuisset reo, nunquam transacturo actore, si pœnam ideo sibi scivisset sub-
eundam, necessaria consequentia hoc etiam translatum fuit ad accusa-
torem, ut impunè transigere possit *per h. l. n.* Sed annè impunè prorsus
transiget accusator, ita ut ne quidem incidat in Turpyllianum? an ve-
ro ita ut saltem à pœna talionis, idest similitudine supplicii liberetur?
Existimarim ego prorsus impune ipsum transigere, quod & alias ad-
huc beneficium transigendi inutile reo redderetur *per ante dicta.* Ve-
rum poteritne accusator & ante, & etiam post institutam actionem im-
punè transigere? Prius quidem dubium non habet nobis autem quo-
que posterius affirmandum est, per ea quæ jam paulò ante diximus, &
quia si sit verisimilis malæ sententiæ metus, obtinet ratio *d. l. 1. de bon.*
eor. Et bene *Vvesenbec.* hîc monuit de actore post cœptum iudicium
transigente, totam *h. l. 18.* ex audiendam esse: Confer *Hunn. de Trans. c. 3*
quest. 4. Ubi bene probat cœpto iudicio actorem transigere volentem,
impetrare criminis abolitionem necesse haud habere: Unde apud nos
Iuridica hac est sequela; Actor transigere cœpto iudicio potest: Ergo ci-
tra abolitionem potest, ut proinde non placeat *Tr. vol. 1. disp. 7. th. 5. lit. a.*
in pr.

in pr. ibi: nisi impetrata abolitione. (c) Hic jam magna oritur opinionum turba & confusio, circa duo expedienda; 1. Circa hujus exceptionis rationem. 2. circa ejusdem ad hanc regulam convenientiam; De duobus istis itaque laboratur & quaeritur. 1. Quæ sit ratio excepti adulterij? 2. Quomodo regulæ propositæ conveniat hæc exceptio? Video sane hîc maximam difficultatem, sed ex qua melius me extricare nequeo, quam si sequar præeuntem *Dn. Presidem inform. sua ad Bachov. & Hunn. c. 3. disput. 7. vol. 1.* cujus ideo judicium probo. Nimirum cum ipso existimo, verba illa: *Excepto adulterio*: à Triboniano esse adjecta, tum, quod exceptionis hujus alias nulla commoda dari possit ratio; tum etiam quod alias illa ipsa exceptio quam valdè incongrua foret, cum latæ *d. l. 18.* tempore, adulterij pœna nondum capitalis fuerit, quod vide novissimè evictum apud *Bacch. vol. 2. disp. 32.* quod hic tamen in medium relinquimus; etenim licet demus, capitale tum quoque fuisse adulterium, prius tamen manet, quod exceptionis ratio in obscuro sit, quin magis nulla dari possit, quæ omnino, quia subfuit, danda erit ab eo, quia ea verba ab ipsis auctoribus *d. l. 18.* adjecta esse, dixerit, quam itaque audire à contradicentibus, parati sumus. Cœterum si nobiscum statuas, expedita tibi erunt omnia, hoc modo: verba ea sunt igitur à Triboniano inserta & addita; antea enim de adulterio, tanquam crimine non capitali, non licebat transigere, per regulam secundam hujus *l. 18.* Sed cum postea adulterium cœpisset fieri crimen capitale, *l. 30. C. de adult. de capitalibus* autem permissum transigere, idcirco, ne etiam super adulterio sic transigeretur, necessum erat crimen adulterij expresse excipi, ut verò exciperetur, Tribonianus coactus singulari ratione fuit, quæ desumi potest *ex d. l. 30. C. de adult.* contra quam etsi disputet *Vvesenb. in ꝛ. hic*, bene tamen refutatur in eo ab *Hunn. d. c. 3. q. 6.* Quæ si nunc sequaris, omnia clara & expedita, sic namque ratio exceptionis, etiamque ipsius ad regulam convenientia, in aperto est.

VII.

Altera Regula esto; de criminibus aliis, quæ sanguinis pœnam non ingerunt, transigere non licet, (a). Citra falsi accusationem (b). Sed de criminibus privatis, licitane transactio? (c).

A 3

(a) d. l.

(a) d. l. 18. quæ sit hujus regulæ ratio, petere licet ex *Bachov. vol. 1. pag. 287.* post prin. quam communiter interpretes ad *h. l. 18.* approbant; potest hæc addi, in capitalibus licita est transactio, propter solam miserationem, *l. 1. de bon. eor. &* ergo, in quibus delictis cessat ratio redimendæ vitæ & sanguinis, ea licita non erit, veluti cessat in non capitalibus. *Hotomannus* tamen in *d. q. 23.* etiam hanc regulam invertit, scilicet licere in hisce criminibus non capitalibus transigere, ad cujus rationes commodè respondet *Hunn. d. Tr. c. 3. q. 12.* Præcipue *Hotom.* motus & deceptus fuit verbis *Vipian. in l. 1. §. 3. de Calumn.* Ubi permittitur in publicis causis accipere pecuniam absque sordida concussione; sed ad hunc textum satis quoque respondit *Hun. d. q. 12. arg. 3.* confer ea quæ mox sequuntur: Sed quæritur; nunquid liceat in non sanguinariis actori & reo adhuc ante cœptum judicium transigere? Quod nos omninò affirmamus, nam sicuti supra ex *Vvesenb.* monuimus, tota hæc *l. 18.* intelligi debet, quando cœptum judicium est, quare, ante illud cœptum, hoc actori permittum videri potest, quod tamen sic affirmari & limitari cupio, ut ille demum actor possit ante litem contestatam in non capitalibus transigere, qui scilicet potest etiam de iisdem civiliter agere, si vero tantum possit agere criminaliter, pecuniam non potest accipere & transigere, nisi crimen concussionis contrahere velit atque hinc explicanda quoque venit *d. l. 1. §. 3. de Calum. cōjunge Bach. d. disp. 7. th. 5. lit. a.* (b) Anxii & hic sunt Interpr. nostri de vera significatione inquirenda particulæ *citra*, quam alii ideo interpretantur exceptivè, pro præter, alii pro SINE, ut sensus sit, sine falsi crimine, vel neminem posse de criminibus non capitalibus publicis post accusationem institutam transigere, nisi falsi crimen subire velit; quam interpretationem accepto, adeoque discessum facio ab illis, qui contendunt, de crimine falsi transigere licere, motus hac sola ratione, ut interim alias, temporis ratione taceam, quod exceptionis criminis falsi nulla commoda & idonea afferri & dari possit ratio *Tu vid. Hunn. d. Tr. c. 3. q. 16.* Cæterum quamplurima nobis objiciuntur, quæ jamdudum viri docti, militantes pro nostra sententia, removerunt, Hoc quoque moveri posset: De capitalibus licet transigere; sed crimen falsi interdum capitale est, *l. 22. C. de falsis.* Ergo & cæt. tametsi eo argumento uti non debeant, qui exceptionem hinc statuunt, cæteroquin quærerem ab iis, quomodo igitur regulæ, quæ est de non capitalibus, conveniret exceptio,

ptio, quæ esset de capitali crimine; Itaque responderem, hîc repetendo id quod supra monui, scilicet ubi pœna capitis non est ordinatè & expressim determinata, licet ea iudicis arbitrio extraordinariè quandoque imponi posset, ut in crimine falsi, *d. l. 22.* ibi tamen transactionem ideo non permitti; Et ergo manet adhuc, de crimine falsi transigere non licere, *p. d. l. 18.* Tametsi nescius non sim, quosdam hîc distinguere, quos sequitur *Treut. d. disp. 7. th. 5. lit. F.* inter causas civiles & criminales, ut si civiliter super falso agatur transigere liceat, si criminaliter, non liceat; sed hæc distinctio est impertinens, quod *in h. n. l. 18.* tantum de persecutione criminali tractetur, & alias hoc verissimum, in non sanguinariis post acceptum iudicium, quomodocunque agatur, transactionem non admitti, ut proinde ista distinctio *ad d. l. 18.* quæ de casu accepti iudicii loquitur, accommodari non possit: Enim vero ante cœptum iudicium transactio, secundum supra disputata, communiter permittitur, ut consequenter hoc casu singulare nihil esse possit in falsi crimine. (c) de criminibus privatis an liceat transigere, *in d. l. 18.* decisum non est: sed de hoc sic statuimus. Distinguendum est utrum lis contestata sit, an non: ut priori casu de criminibus privatis transigere non liceat, sed transigens infamiæ pœnam incurrat. *l. 4. §. fin. l. 5. 6. de his qui not. infam.* Posteriori vero casu licita atque impunita sit transactio. *l. 56. §. 4. de furt. l. 13. C. eodem.* Hanc distinctionem explicat & cum mica salis accipiendam esse, monet *Hunn. d. Tract. pag. 291. & seqq.* Atque ea hætenus de difficili & spinosa *d. l. 18.* dicta sunt, ubi veniam precamur, si quid accurate minus propositum fuerit, *moniti meliora sequemur.*


VIII.

Tandem finis & effectus transactionis est; Hic, ut lis finiatur (a). Quare nec rescinditur facile (b). ille, ut actio queratur, vel præscriptis verbis, (c) veletiam exstipulatu (d).

(a) Vis & effectus transactionis est; quod ea rebus dubiis & litibus incertis finem imponat, inventa hinc est transactio, ut finis litibus & controversiis imponatur, *l. non minorem C. h. t.* Unde exceptio transactionis, litis finitæ exceptio à Pontifice appellatur *in c. 1. & 2. ex r. de lit. con-*

lit. contest. quia impediatur litis ipsius ingressum; cæterum de vi & effectu transactionis vide *elegant. Duar. ad h. t. c. 3. fere in fin.* nos ad finem properamus. Itaque litem finit, transactio, & inde definitivum eam, quod sit rei litigiosæ conventa decisio. *th. 1.* Quod si ergo litem finit, adeoque negotium distrahit, quomodo poterit transactio quoque contractus esse & dici? vide *th. præcedentem 7.* Cum sic magis distractus videri debeat, *arg. l. 1. §. 3. de pact.* Ubi transigere & contrahere opponuntur; sed tibi respondebo; transactio habet duplicem effectum, respectuque illius duplicem etiam considerationem; vel enim distractus est, quia uti dictum, negotium prius distrahit, litemque finit; vel contractus est, quia reum obligat ad id, quod transactionis nomine promisit, præstandum, cujus respectu hinc inde in Legibus transactio constanter appellatur contractus, in *l. 5. Cod. h. tit. l. 7. Cod. d. his quæ vi met. caus. l. 17. C. de fid. Inst. l. fin. C. de litigios.* (b) nullus siquidem erit litium finis, si à transactionibus bona fide initis, cœperit facile discedi, *inquit l. 10. C. h. t. nec enim minorem auctoritatem transactionum, quam rerum judicatarum esse, recta ratione placuit l. 20. C. eod. & ideo causas litesve transactionibus legitimis definitas, neque Imperiali rescripto resuscitari oportet l. 16, C. eod.* Si tamen ex falsis instrumentis transactiones initæ fuerint, quamvis jusjurandum de his interpositum sit, etiam civiliter falso revelato, eas retractari, rescindi præcipitur, *in l. 42. C. d. t.* Sed an rescindantur ipso jure, an aliquo remedio? Controversum hoc est. Equidem *Zasius 1. sing. 13.* disputat quod ipso jure nulla sit transactio ex falsis instrumentis facta, cui non assentior & puto talem transactionem per in integrum restitutionem rescindendam esse, *vid. elegant. Bacch. in suo vol. 3. ad Treutl. p. 491. 488. 484. adde Hunn. in resol. disp. 7. q. 58. vol. 1. cum quo tamen non utor argumento vocabuli retractari rescindi & c. d. l. 42. nulla enim firma exinde illatio, arg. l. 64. de Cond. & demonstr.* Sed facit satis argumentum à sententia ad transactionem ductum, quod admittit etiam ipse *Zasius d. c. 13.* sententiam vero quam Judex falsis testimoniis circumventus tulit ipso jure nullam non esse, probat *l. 33. de re Jud.* Ergo & transactionem & c. vide, *ut dixi, eleg. & doctè Bacchov. dd. pp.* Solet quoque hic quæri, numquid beneficium *l. 2. C. de rescind. vend.* in transactione obtineat? Quæ elegans quidem quæstio est; sed ab hoc loco aliena, qua propter eam ex professo non tractabimus, interim profiteamur, negativam nobis placere ex solida hac ratione quod litis eventus dubius sit, unde fieri potuerit

potuerit ut iudicio vinceretur, Et ergo boni consulere debet quisque quod transigendo accepit, vide hanc negativam 10. rationibus stabilitam apud *Arum. disp. 3. 0. 21. ad l. 2. C. de rescind. vend.* (c) puta quando transactioni non fuerit subiecta stipulatio datur adversus morosum & non servantem fidem, actio præscriptis verbis, *l. cum mora. C. h. t. vid. Borch. de transf. c. fin. num. 8.* (d) puta cum stipulatio conventioni subdita fuerit, *d. l. cum mora.* Idem *Borcholt. d. l.* ubi exemplis hanc rem illustriorem reddidit, quæ huc repetita volumus, disputationem siquidem, non commentarium, scribimus. Finaliter tamen in hac materia gravissime controversatur, cum transactionibus interdum subijci soleant stipulationes pœnales, ut sc. pœnam certam solvat, qui contra eas fecerit, *arg. l. 10. §. 1. de pact. l. 12. §. 2. de pact. dot. l. 37. l. 40. C. de pact.* quid ergo, si pœnalis stipulatio subiecta sit, an ea commissa, stipulator simul pœnam petere, & commodo transactionis frui possit? Et respondetur alterutro contentum esse oportere *d. l. 10. §. 1.* nisi tamen adjecta sit clausula: *rato manente pacto: d. l. 12. §. 2. l. 16. ff. junct. l. 17. C. de transf.* Vide iterum *Borch. d. c. fin. num. 19. ad fin.* Animus non est hæc singula, & plura alia, latius prosequi: Disputandi ansam præbebunt superfluam ista nostra præcedentia. Unde theses hæc nostras cum beatitudinis numero concludimus & finimus.



P A R A D O X A.

I.

Ex legitimo matrimonio potest nasci spurius.

II.

Titius ex eadem muliere potest habere filium secundum illegitimum, primum & tertium legitimos.

III.

Major numerus potest esse in paucioribus personis.

IV.

Desinit etiam id quod nunquam cœpit.

C

Viliora

Viliora preferuntur prestantioribus.

P E R T I N E N S.

Statutum in aliqua civitate tale est : Ab Magistratu sententia ad superiorem non appellato : Sin feceris & superior Magistratus sententiam confirmaverit 20. florenos fisco solvito : Quæro , an si appellans pendente appellatione transegerit, pœnæ statuti locus fiat ?

R A T I O D U B I T A N D I.

Tum ; quia sublit in transigente verosimilis malæ sententiæ metus *arg. l. 1. de Transf.*

Tum ; qui à sententia ad transactionem , firma & stabilis sit consequentia ; *arg. l. 20. C. eod. tit.*

Tum ; quia nimius remediū appellationum ad iniquitatem abusus interpretatione adjuvari non debet , *arg. l. 19. de lib. & posth. junct. Geil. observat. 128. num. 2. Heig. part. 1. q. 10. num. 10.*

Tum ; quia appellans scire non potest , an rectius in secundo , quam in primo tribunali iudicium accepturus sit , *Pinell. ad rub. C. de rescind. vend. p. 1. c. 2. n. 22.*

R A T I O D E C I D E N D I.

Tum ; quia statuta strictissime interpretari oportet , maxime exorbitantia , sicuti hoc tale est. *vid. Mynsing. 1. observat. 14. Gotofr. ad l. 31. lit. d. C. de appell.*

Tum ; quia statuti finis & locus est , ut lites abbrevientur , & subterfugia eripiantur , quem finem habet quoque transactio *l. 10. de Transact.*

Tum ; quia ne justæ pœnitudo humanitas amputetur , inquit in hisce terminis *l. 28. C. de appell. quam vide.*

Tum

Tum ; quia ita in terminis docuit eloquentis. meus
Donell. 28. comm. 9.

QUID DICENDUM?

Non puto delinquere eum, qui in dubiis quæstionibus
contra Fiscum facile responderit *inquit*, l. 10. de jur. Fisc. &
vulgatum illud : *Malam esse fiscicausam sub Principe bono.*

Ornatissimo

DN. JOHANNI WITSCHIVÆO,
amico, & in Feudali Collegio Collegæ
suo charissimo.

Non solum hoc ævo pietas est mortua, Cultus
Divinus riget, & friget, sed & horridus error
Nunc viget, & floret discordia maxima ubique.
Crescit ab exiguis causis lis, prælia crescunt
Lingua multiloqua; Fratrum quoque gratia rara est.
Unde malum fluit? Hæc divisio Demone nata,
Unio divina est. Tua dissertatio, plena
Mentis, *JANE*, docet, vetus atque antiqua similtas
Quâ ratione queat tolli, memoranda reduci
Virtus, quæ turpi est liti contraria. Perge.
Sic te damnabunt, quibus est Discordia curæ.
Sed te laudabunt, quibus est Concordia curæ,
Atque tuum cuncti cantabunt nomen in orbe.

Johan. Eichrodt / J. U. D.
Cod. & Consuet. Feud. P. P.

F I N I S.

THESE

WILHELMUS

DE

RECTOR

UNIVERSITATIS

WILHELMUS

DE

RECTOR

UNIVERSITATIS

WILHELMUS

P

T

R

DO

RE

AM

L



00 A 6387

ULB Halle 3
002 916 592



10 17







Inches

Centimetres

Farbkarte #13

B.I.G.

Blue

Cyan

Green

Yellow


Red

Magenta

White

3/Color

Black



46

7

3

TIO JURIDICA
 XHIBENS
 Intricatum Trans-
 um Materiam.
 Quam
 PIRANTE NUMINE.
 ab Præsidio
 & Consultissimi Viri,
 R MANNI
 USEN, J. U. D.
 ademia Rinteliana Pro-
 dinarii, Præceptoris & Fau-
 ni observantiæ genere
 colendi.
 Collegio ad diem 20. Febr. publicè de-
 n proponit & exhibet
 S Witschieve / H A G A
 A U M B U R G.
 NTELII,
 Lucii Typogr. Acad.
 DC XXIII.